



§. I.

DE Sessione JESU CHRISTI in dextra DEI cum proponendum esset aliquid, quod publice disputaretur, opportunus fuit Apostoli locus visus, Coloss. III, 1. Hujus igitur genuina simplexque *sententia*, ex verborum vi atque ordine, locorumque aliorum collatione, eruta, publica disputatione exhibita est. Succedunt hac, quæ nunc proponitur, Disputatione, *vindicatæ* illius orthodoxæ sententiæ atque explicationis, quam memorata exhibuit disputatio. Neque vero operosa & proluxa disputatione, & adversariarum sententiarum discussione opus habemus, qui arbitramur, vel nuda etiam recensione earundem & collatione, piis hominibus, & veritatis patefactæ amantibus, ostendi posse, fidei, quam amplexi sunt tenentque, veritatem simplicem esse, & certam, atque inconcussam; errorem vero eorum, qui suis inhaerent principiis, suisque indulgent speculationibus, varium esse, & multiplicem, lubricum, incertum, & sibi non constantem. DOMINUS JESUS, in dextra DEI sedens, etiam hanc, in suæ illustrationem gloriæ, meditationem dirigat.

§. 2. Primus allegandus est ex Interpretibus Pontificiis Cornelius a Lapide, in Coloss. III, 1. Ipse, ad hunc locum, eamque, Lap. in quam hoc dedit loco, explicationem suorum Commentariorum Coloss. lectores remisit. Nam in Comment. in Marc: XVI, 19. ad verba: *sedet a dextris DEI*; hæc scribit: *Qua ratione sedeat, multis explicui Coloss. III. vers. 1. Et Comm. in Actor. VII, 55. interserit: eo sensu, quem dedi Col. III, 1. Iterumque Comment. in Hebr. I, 3. Plura de hac Christi sessione dixi Coloss. III, 1. Ipse itaque Cornelius cum asserat, multis se explicuisse, loco dicto, qua ratione Christus sedeat; atque ad sensum, quem hic dedit, revocet expositiones suas, quas dedit locis aliis; etiam plura se hoc dixisse loco,*